

IV. PARTIS.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

Titulus I. <i>De jurisdictione ecclesiastica.</i>	235.
Tit. II. <i>De causis ecclesiasticis.</i>	247.
Tit. III. <i>De jurisdictione criminali.</i>	263.
Tit. IV. <i>De delictis ecclesiasticis.</i>	276.
Tit. V. <i>De reliquis delictis ecclesiasticis.</i>	288.
Tit. VI. <i>De iudicibus Ecclesiasticis.</i>	303.
Tit. VII. <i>De ministris Curiae ecclesiasticae.</i>	312.
Tit. VIII. <i>De instructione causarum civilium.</i>	322.
Tit. IX. <i>De instructione causarum criminalium.</i>	341.
Tit. X. <i>De sententiis, & executione.</i>	355.
Tit. XI. <i>De appellationibus, & recusationibus.</i>	368.
Tit. XII. <i>De pœnis, & censuris ecclesiasticis.</i>	383.
Tit. XIII. <i>de exemptionibus Regularium.</i>	409.

JURIS ECCLESIASTICI

D. VAN-ESPEN

PARS III.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

TIT. I.

De Beneficiis.

CAPUT I.

De Origine, & Natura Beneficiorum.

1. **N**ostris moribus multiplex religionis officium incumbit Parochis, quia titulo ipsius Beneficii, quod possident, tenentur ad Sacrorum administrationem, & celebrationem in suis Ecclesiis. Beneficium enim datur propter officium. *c. 15. de Rescr. in 6.*

2. Beneficii nomen ex jure feudali trascribere placuit. Jure novo prætendit Innocentius II. Papam, veluti jure feudi, omnium Beneficiorum ecclesiasticorum Dominum, aut Authorem esse. *Constat (a), inquit Romam esse Metropolin orbis; inde recipiuntur dignitates ecclesiasticae per gratiam, & licentiam Romani Pontificis; veluti jure feudi.*

3. Primis sæculis & ipsi Clerici ex bonis Ecclesiae vivebant. Bona erant communia, quorum dispensatio ex nutu Episcopi fiebat inter pauperes, & Clericos. Fuere Clerici non pauci, qui extra communitatem vixerant, vel quod uxores essent sortiti, vel aliis de causis. His stipendia vel hebdomadatim, vel menstrue, aut in pecunia numerata, aut in certa ciborum portione, quæ proinde instar erogationum militarium Præbenda dicitur, suppeditabantur. Hujus generis stipendia pro-

(a) Racin. Tom. 5. Art. 12. §. 7.

navata opera augeri, minui, suppressive poterant. Nonnulli Ecclesie Ministri, qui ex bonis illis alendi æque fuissent, ut tamen populo exemplum præberent, jure suo sæpe neglecto, pauperibus cuncta admensi, vel ex suo patrimonio, vel ex labore manuum, exemplo S. Pauli, & præcepto Canonum vitam sustentarunt. Resert nonnullas veteres auctoritates hujus argumenti Gratianus. c. 25. & passim XII. q. 1.

4. In hac disciplina absoluta administrationis potestas penes Episcopum fuit. Quum tamen Episcoporum nonnulli sua auctoritate non raro abuterentur, consultius visum fuit, eorum arbitrium ad operam Œconomorum restringere, ut testes suæ administrationis haberent. c. 21. & 22. XVI. q. 7.

5. In Occidentali Ecclesia sæculo V. mos invaluit, quod tres, aut quatuor partes fierent; quarum prima Episcopo, & ejus familie ad hospitalitatem exhibendam relicta est. Secunda pars Clero: tertia vero pauperibus, & demum quarta fabricæ assignata est. Hæc divisio non fuit determinatio certorum fundorum, sed nuda reddituum assignatio, quæ pro re nata mutari potuit. c. 23. & 26. XII. q. 2.

6. Inter ea sæcula nonnumquam Episcopi Clericis, qui vitam ruri in officio ecclesiastico exegerunt; fundos, & fundorum proventus assignarunt, quibus fruerentur, quousque spiritum ducerent. Post obitum enim ad Ecclesiam revocabantur illi agri, ut nullum jus in eos sibi successor arrogare potuerit. c. 32. XII. q. 2. c. 61. XVI. q. 1.

7. Quum hæc œconomia morem Romanorum, quo quid simile in præmiis militum, quæ Beneficia vocabantur, est observatum, æmulari videretur; labentibus sæculis eo passim deventum est, ut singuli Ecclesiarum Rectores tum oblationum, tum & fundorum redditus illius loci, cui præerant, nanciscerentur, de quibus nemini hominum rationem reddere tenebantur. Novo jure hujusmodi redditus officio ecclesiastico junctus, Beneficium dici cœpit. Hinc Beneficium ecclesiasticum definitur, quod sit jus perpetuum percipiendorum fructuum ex bonis ecclesiasticis acquisiti tituli propter officium spirituale auctoritate Episcopi constitutum. Ait ann. 1549. Synodus Coloniensis: *Quia, uti divini juris est, ut, qui servit altari, de altari vivat, ita nec bono jure is, qui non servit altari, de altari vivit: sicut stipendium non debetur, nisi militanti.*

8. Quippe jure novarum Decretalium (a) jus hoc, quod antehac nonnisi precarium fuit; ad solum usumfructum, quamdiu Possessor viveret; restrictum, perpetuum evasit, quod

(a) Conc. Colon. tit. 9. c. 3.

ad instar feudi velut reale, ad quemque tituli Possessorem transiret: unde axioma ortum dixit; vi tituli jus haberi quæsitum ad fructus ecclesiasticos percipiendos. *Arz. c. 1. de Decim. in 6.*

9. Superest tamen ex veteri jure, quod Beneficium ecclesiasticum haud censeatur, nisi ut tale auctoritate Episcopi fuerit institutum. Veteri more nemo Clericus fiebat, nisi simul ab Episcopo certæ Ecclesie ministerio adscriberetur, relatus in catalogum ecclesiasticum, ut ex illa Ecclesia, cui ministrabat, ratam oblationem ad vitæ subsidium mereretur.

10. Juxta modernam disciplinam redditus per erectionem Beneficii auctoritate Episcopi ipsi titulo ita uniuntur, ut ipse Beneficiatus, quisquis sit, vigore ipsius tituli jus percipiendi illos proventus, durante sua vita, consequatur propter sacrum Ministerium. Hinc superest & hodie illa fixa perpetuaque observantia, ut, cum quis alicui Ecclesie, veluti titulo, legitima auctoritate, & vocatione adscriptus est, in ea per omnem vitam subsistere debeat, suis muneribus functurus. *Trid. sess. 23. c. 16.*

11. Novo jure ad exemplum feudi diversa Beneficiorum (a) divisio innotuit. Primis Ecclesie sæculis per solam ordinationem Clerici diversis muneribus ecclesiasticis applicabantur, ut illa ipsa officia ipsis Ordinibus cohærere censerentur. Sic & per ipsam ordinationem quisque jus percipiendi proventus ecclesiasticos nactus est. Omnis enim prærogativa reliqua stetit à dignitate, & prioritatem Ordinum.

12. Quousque in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatisque convictus communis placuit, diversa in eis officia erant simplicia munia, & ministeria, quæ à Superioribus pro arbitrio committebantur, & adimebantur. At deserta vita communi hæc in Beneficia, & denique in Dignitates degenerarunt.

13. Hoc auspicio successit, & in aliis Ecclesiis, quod quibusdam Beneficiis vel ex consuetudine, vel ex institutione quædam præminentia obtingeret, quia Beneficia separatim à collatione Ordinum conferri cæperant.

14. Hac occasione Dignitates, & Personatus inclaruerunt. Dignitates dictæ sunt illa Beneficia, quibus quædam præminentia vi suæ administrationis, seu jurisdictionis cohæret. Personatus communiter à Canonistis dicitur quædam prærogativa in Ecclesia sine jurisdictione administratione. Labente sæculo XI. nonnulli Clerici Ecclesiarum Personæ dici consueverunt, qui, Ecclesias Parochiales nacti, earum

(a) Cap. 2. De Dignit. & personat.

curam Vicariis reliquerant, ita tamen; ut sibi titulum, procul ab officio, aliosque nonnullos proventus, atque certam prærogativam in illis Ecclesiis reservarent.

15 Reliquis argumentis novi juris non infrequens est, quod Dignitates, & Personatus pro synonymis habeantur. *cap. 8. de Constit. cap. 8. de Reser.* Alibi tamen Dignitates à Personatibus clare distinguuntur. *cap. 28. de Præb. cap. 11. de Reser. in 6.*

16 Nostri moribus diversa est Ecclesiarum consuetudo. Quædam enim Beneficia in una Ecclesia Dignitates, aut Personatus censentur, quæ in alia Ecclesia pro simplici Beneficio, aut officio reputantur. Quippe dubium haud est, consuetudinem, aut institutionem cujusque Ecclesiæ in eo argumento spectandam esse. Jura honorifica, quæ hodie quodammodo indicia sunt Dignitatum, plerumque consistunt in loco honorabiliore Chori, præcedentia in processionibus, & reliquis conventibus publicis, atque aliquando in vestium quadam distinctione.

17 Exortis tantis titulis Dignitatum evenit, quod multi externum potius splendorem sectarentur, quam rem pensarent. Ait S. Bernardus (a): *Gravari profecto metuerent, nec cum tanto labore, & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc vero, quia sola attenditur gloria, & non pena, purum esse Clericum erubescitur in Ecclesia; seque viles æstimant, & inglorios, qui quocumque in eminentiori loco non fuerint sublimati. Quid verius? Meditantibus (Dignitates) honores blandiuntur, sed onera pensantibus tædio sunt, atque formidini. Non autem omnes capiunt hoc verbum.*

18 Quid clarius Decreto Concilii Tridentini (b)? *Cum dignitates, inquit, in Ecclesiis, præsertim Cathedralibus ad conservandam, augendamque ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ, ut qui eas obtinerent, pietate præcellerent; aliisque exemplo essent, atque Episcopos opera, & officio juvarent: merito, qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo muneri respondere possint &c.*

19 Hinc in stylo Curie Dignitates vulgari nomine beneficiorum haud continentur. Sic Rescriptum, pro Beneficio curato, & quocumque alio obtentum, non suffragatur pro obtinenda dignitate, nisi illa qualitas exprimat. *Argum. cap. 16. de Præb. in 6.*

20 Est quoque juxta stylum Curie differentia inter Dignitates, quia aliæ majores, & principales; reliquæ minores, & in-

(a) S. Bern. ad Henr. Sen. c. 7. (b) Trid. sess. 24. c. 12.

inferiores censentur. Majores respectu Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum illæ dicuntur, quæ in his Ecclesiis post Episcopalem, Archiepiscopalemque sunt primæ, uti Archidiaconatus, aut alibi Archipresbyteratus. Quippe cujusque Ecclesiæ spectanda est consuetudo.

21 Principales dicuntur in Ecclesiis Collegiatis, quæ sunt in illis Ecclesiis primæ, ut in ea Ecclesia major dignitas haud sit, spectata scilicet loci consuetudine. Alibi enim Decanatus, alibi Præpositura principalis Dignitas habetur. Oportet ergo & hanc qualitatem pro rescripto exprimi.

22 Reliquo jure beneficia dividuntur in sæcularia, & regularia (a). Nam & ipsa officia claustralia, quæ olim mera officia, & simplicia ministeria erant, cœperunt sensim, & successive in titulos beneficiorum, & dignitatum erigi, quia Regulares ad functiones hierarchicas cœperant assumi.

23 Beneficia ergo regularia hodie censentur, quæ Religiosis addicta sunt, aut per Regulares administrantur. Contingit autem pluribus titulis, quod beneficia Regularibus addantur. Et quidem vel ex vi institutionis, seu ipsa conditione, & natura beneficiorum, eo quod ipsa Regularium disciplinam, & regimen spectent; hujusmodi beneficia sunt Abbatix, Prioratus &c. Aliquando beneficium est regulare ex speciali fundatione; quia Fundator diserte statuit, ut beneficium per Regularem regeretur. Denique beneficium sæculare evadit regulare præscriptione, si tanto tempore (utpote per quadraginta annos) ab uno, vel pluribus Religiosis extiterit continue, & pacifice gubernatum, ut præscriptio legitima sit completa. Refert. *cap. 5. de Præb. in 6.*

24 Juxta Glossam ad præscriptionem requiritur (b), ut beneficium illud tanto tempore continue, ac pacifice per unum, pluresve Regulares fuerit possessum, & tanquam beneficium regulare ipsis Regularibus in titulum beneficii collatum. Quippe si ipsis Regularibus fuisset collatum ex dispensatione tanquam sæculare, aut forsan ob defectum sæcularium commendatum; hæc, quantumvis longissimi temporis possessio non sufficeret ad immutandam naturam beneficii.

25 Beneficium sæculare dicitur, quod Clericis sæcularibus est addictum, quia vel curam populi spectat, vel ad officium ecclesiasticum refertur. Juxta Interpretes omne beneficium ex primæva sua institutione præsumitur sæculare, nisi quoad Capellas in Monasteriis fundatas. Hæ enim præsumuntur regulares, nisi per sæculares teneri consueverint.

Hac

(a) Cap. 3. de Benef. Regul. & Sæcul. (b) Gloss. ibid. Epist. Van-Espen. T. II. D

26 Hac occasione fixa est regula, beneficia sæcularia Clericis sæcularibus, regularia regularibus esse conferenda, cap. 5. & 32. de Præb. in 6. Præcipit Clemens V. ut Dicesani negligentiam Prælatorum in conferendis beneficiis suppleant, Prioratus, Ecclesias, Administrationes, & beneficia hujusmodi, illa videlicet, quæ consueverunt per sæculares Clericos gubernari, sæcularibus Clericis: Alia vero, quæ Religiosis duntaxat committi sunt solita, vel conferri, Religiosis Monasteriorum, quorum Prælati hujusmodi negligentes fuerint, conferendo. Refert. Clem. un. de suppl. Negl. Prælat.

27 Hoc exemplo statuit Concilium Tridentinum (a): Regularia beneficia in titulum Regularibus professis provideri consueta, cum per obitum, aut resignationem, vel alias illa in titulum obtinendis vacare contigerit, Religiosis tantum illius Ordinis, vel iis, qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino, lanaque contextam induant, conferantur.

28 Hodie distinguunt duo genera regularium beneficiorum; utpote illa, quæ administrationem, aut regimen regulare spectant, veluti Abbatia, Prioratus, &c. Quippe hæc aliis conferri nequeunt, nisi professis (b). Sic alibi Concilium dicit, quod confidat, Pontificem pro sua pietate, & prudentia curaturum, ut, quæ imposterum vacabunt (id est, Abbatia, Prioratus, Præposituræ, quæ suos conventus habent) non nisi Regularibus spectatæ virtutis, & sanctitatis conferantur. Ait enim Pontifex, quod in Magistratum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit, nec sit præficiendus, qui subesse non novit. Refert. c. 49. de Elect.

29 Refert Fagnanus ann. 1585. sacram Congregationem decidisse, posse etiam ordinarios Collatores portiones monachales, & canonicas, & similia beneficia Regularibus provideri consueta, nedum ejus Ordinis professis, sed & Sæcularibus, qui habitum suscipere, & professionem emittere teneantur, conferre.

30 Quantum ad beneficia sæcularia, siquidem cura destituantur, v. g. Canonicatus, Cappellanas, aliaque his similia, Regulares sine dispensatione Papæ obtinere nequeunt, cap. 9. de Regul. & late Fagnanus (c).

31 Sed quid? An beneficia curata Regularibus sine dispensatione conferri queunt? Juxta Innocentii III. rescriptum per antiquos Canones etiam Monachi possunt ad Ecclesia-

(a) Trident. sess. 14. cap. 10. (b) Sess. 25. de Regul. cap. 21.
(c) Fagn. ad cap. 5. de Stat. Monach.

rum parochialium regimen in Presbyteros ordinari. Refert. c. 5. de Stat. Monach.

32 Utrum olim Monachi in Presbyteros ad regimen populi assumpti desinerent esse Monachi, non ita constabant. Ex sententia Calcedonensis Concilii Monachi est (a), quietem amplecti, jejunio, & orationi tantummodo vacare; nec ecclesiasticis, nec sæcularibus negotiis se ingerere, aut communicare.

33 Ast quidquid sit, certum habetur, quod labentibus sæculis Monachi etiam ad curam animarum & functiones hierarchicas, salvo Monachatu applicarentur de Abbatis consensu, si saltem eis alius socius cohabitaret. Arg. c. 2. & 5. de Stat. Monach.

34 Concilium Provinciale Cameracense ann. 1565. abhinc declarat (b): Quotquot habent curata beneficia unita suis Ecclesiis, ut Capitula, & Abbates, non prius committant Pastores Regulares iisdem beneficiis curatis, quam presentati Ordinario fuerint, & ab eo accepti; quoniam populus ejus curæ commendatus est: à quo iidem Rectores potestatem, quam curam animarum vocant, accipient, nec possint Abbates, aut Capitula admissos, & approbatos ab Ordinario Rectores revocare, nisi consenserit Episcopus: & iidem Rectores constituti mandatis Episcoporum omnino pareant, ab iisque corrigantur, siquid deliquerint.

35 Superest vulgaris divisio, qua beneficia curata à simplicibus beneficiis distinguuntur (c). Beneficia curata dicuntur, quæ vi ipsius tituli curam animarum in ordine ad forum internum per administrationem Sacrorum, & Sacramentorum ordinariam commendant, & continent. Enimvero illa beneficia, quæ curam animarum in ordine ad forum externum per distractionem, & absolutionem censurarum exhibent, improprie nostro usu beneficia curata vocantur.

36 Spectat beneficia curata in ordine ad forum internum illud Decretum Concilii Lateranensis, quod præcipit, ut cum sit ars artium regimen animarum, Episcopi promovendos in Sacerdotes diligenter instruat, & informet, vel per se ipsos, vel per idoneos viros super divinis officiis, & ecclesiasticis Sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare. Refert. cap. 14. de Ætat. & Qualit. & Ord. præfic.

37 Quid uberius Decreto Concilii Tridentini (d) ad explicanda beneficia curata? Præcepto divino, inquit, mandatum est omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas ag-

(a) Conc. Chalced. cap. 4. (b) Conc. Camer. de Ministr. Eccles. cap. 6.
(c) Cap. 4. de Benef. Curat. & simplic. (d) Trid. sess. 23. cap. 1.

noscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo, pauperum, aliarumque miserabilium Personarum curam paternam gerere, & in cætera omnia pastoralia munera incumbere.

38. Reliqua beneficia, quæ nec in foro exteriori, nec in foro interiore, utpote quia grege, & plebe propria carent, inquam illa officia exercent, curam ullam, aut administrationem habent, beneficia simplicia appellantur. c. 38. de Præb. & ibi Interp.

39. Hoc sensu & Canonicatus Cathedralium, Collegiatarumque Ecclesiarum inter beneficia simplicia recensentur, quamquam in materia odiosa Canonicatus Cathedralis propter suam eminentiam à vulgari numero, & nomine beneficiorum simplicium discernantur. Quippe novo jure quasi Dignitatibus propterea comparantur, c. 11. de Rescr. in 6. & ibi Interp.

40. Sat vulgariter simplicibus beneficiis annumerantur Capellanæ, & Capellæ tam in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, quam in particularibus locis, Sacellis, & Oratoriis fundatæ. In stylo Curia Capellanæ à Capellis distinguuntur. Nam Capellam vocant, quando est corpus per se, ac quædam Ecclesia per se: tunc enim littere diriguntur ad Rectorem illius Ecclesie: si vero Altare, vel Sacellum sit in aliqua Ecclesia, tunc Capellania dicitur, & vocari solent perpetua, inscribiturque Rescriptum tali N. perpetuo Capellano.

41. Capellæ, quatenus peculiare Ecclesie, seu domestica Oratoria, medio ævo in Palatiis Principum, & Regum effulserant, quæ inde Capellæ Palatinæ dici consueverant. His plerumque selectus Clerus præerat, ut in ædibus regis divinum officium persolveret, cui Principes cum suis Familiis possent, solerentque assistere. Hic Clerus dictus est Palatinus, seu Regius.

42. Hoc exemplo cœperant & alii fideles ad honorem alicujus Sancti extruere ædificia, sive Oratoria, idque subinde separatim ab Ecclesia Parochiali, vel Cathedrali, Collegiatave, etiam subinde dote pro Sacerdote, & fabrica, aliisque ad Missarum celebrationem, aliaque divina officia peragenda necessariis, assignata. Hæc Oratoria Cappellæ, postmodumque Sacella dicebantur, & Presbyteri iis præpositi Capellani, vel Sacellani.

43. Qui insufficientes ad extruendum hujusmodi Sacellum separatim cum congruente dote erant, cœperant in Ecclesiis majoribus, Cathedralibus, Collegiatis, vel Parochialibus ædificia quædam laterales, vel etiam altaria quædam in honorem

hu-

hujus, illiusve Sancti, vel in memoriam cujusdam mysterii, miraculi, beneficiique erigere, eisque annectere annuos proventus pro Presbyteris, qui his ædiculis, vel altaribus præessent.

44. In Capitularibus Regum Francorum vetus Decretum recitet (a): *Ne Capellæ in nostro Palatio, vel alicubi sine permisso Episcopi, in cujus est Parochia, fiant.* Hinc omnia illa Sacella ubique Episcopi consensu constructa, ejusque auctoritate in titulum beneficii erecta reperiuntur. Si aliunde laici aliquas Missas, etiam cum onere functiones hierarchicas obeundi, fundaverint; hæc tamen foundationes auctoritate Episcopi in titulum beneficii erectæ non fuerint, nequaquam beneficia reputantur, sed bona laicalia censentur, quæ, præterita Episcopi institutione, vel ad tempus, vel in perpetuum, secundum tenorem foundationis cum onere imposito, Presbytero à Fundatoribus, eorumque hæredibus conferri, adimique possunt.

45. Auctoritate Episcoporum Sacellorum, Altariumque numerus crevit & in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatisque. Quippe crediderunt eorum Fundatores, hoc institutum, & augmentum non parum ad decorem Domus Dei, & cultum divini officii facere, quia hi Capellani non tantum Altaribus, & Sacellis præesse, sed & una cum Canonicis diurno, nocturnoque officio adesse ex lege foundationis tenebantur. Ait Molanus (b): *Nulla tunc erat distinctio*, (quousque vetus disciplina Canonicorum vigeat) *Canonicorum à Sacellanis*, neque nomine, neque functione. Auctis proventibus Canonicorum Sacellani veluti minores Sacerdotes & famuli illorum spectari cœperunt. Hinc illorum Capellanorum nomen viluit, ut, irruente morum remissione, illud officium tenuioris, & villioris conditionis Clericis sæpius obtingere videretur, qui, (quod dolendum!) sæpe etiam sordido, ac mercenario plane modo divina officia frequentant; Sacra, quasi pro stipendio celebranda, unde vivant, conquirunt, seu verius emendant; & extra tempus officii divini cum maximo scandalo Populi, & Cleri opprobrio otium, aliaque vitia, quæ otium consequuntur, sectantur. Quid æquius horum Sacellanorum, aut & Mercenariorum alibi reformatione, & restrictione? Præstat enim paucos, & bonos dignos justo stipendio, quam multos, & malos per quæstum alere ministros Ecclesie. cap. 14. de Ætate & Qualit. & Ordin. præfic.

46. Corruptis sæculis remissio disciplinæ & in illa beneficia simplicia penetravit, quæ in Parochialibus Ecclesiis, aut

(a) Cap. lib. 5. cap. 182. (b) Molan. de Canon. lib. 2. cap. 3.

in aliis Oratoriis ad nudum officium celebrandi Missas redacta sunt. Veteri more Missa divini officii celebrationem, Evangeliique prædicationem complectebantur. Invalescentibus Missis privatis fundatio, & obligatio Missas celebrandi ad frequentiam simplicis sacrificii, præteritis aliis veteris Missæ functionibus, recidit. Atque hac occasione creditum est, posse illius beneficii Possessorem suæ obligationi satisfacere, si eas Missas faceret per alium Sacerdotem justo stipendio celebrari. Hæc ergo beneficia tum à personali residentia exempta, tum fere ab omni officio soluta antonomastice, beneficia simplicia dici cœperant. In Concilio Tridentino Oratores (a) Galliæ horum beneficiorum abolitionem, aut reductionem, reformationemque exposuerunt. Cumque, inquit, *plura sint beneficia, in quibus contra beneficiorum omnium institutionem invaluit depravata consuetudo, ut, qui ea possidens, nullo teneantur concionandi, Sacramenta administrandi, aut alio onere ecclesiastico, Episcopus cum consilio Capituli his beneficiis curam aliquam spirituales imponat, aut, si utilius videatur, ea beneficia vicinioribus Parochialibus Ecclesiis uniat: beneficium enim sine officio esse neque debet, neque potest.*

47. Synodus Tridentina (b) unionem huiusmodi beneficiorum tum ad sublevamen tenuiorum Parochialium Ecclesiarum tum ad Seminariorum erectionem, tum ad augendas tenues Præbendas in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, tum ad alterius beneficii, quod alendo Clerico impar est, supplementum Episcopo cum consensu Capituli commendat, excepti beneficiis Regularibus.

48. De cætero dubium non est, quin Ecclesiæ, & Fundatorum ea intentio sit, ut & ea beneficia conferantur iis, qui se tanquam ministros Ecclesiæ exhibeant, quia ab omni ratione cujuscunque disciplinæ alienissimum foret, proventus ecclesiasticos otio consumi. Patroni ergo, & Collatores æque in his, ac in aliis beneficiis invigilare debent, ut ea huiusmodi Clericis obtingant, de quibus verisimilis saltem spes sit, quod operam suam utiliter Ecclesiæ impendant, ut digni sint, qui de proventibus Ecclesiæ vivant.

*49. In cultiore morum doctrina quid exploratius, quam hanc dignitatem nullibi firmitus, quam per virtutem humilitatis Clero conciliari? Ecce ait diserte Dominus in Evangelio (c): *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Juxta S. Augustinum: *Non se existimet potestate dominante; sed caritate*

(a) Orat. Carol. IX. art. 24. (b) Trid. sess. 14. c. 13. sess. 23. c. 18. sess. 24. c. 15. ibi. c. 17. (c) Matt. 11. v. 29. S. Aug. Ep. 109.

serviente felicem. Ex sententia S. Gregorii (a): *Cumoti, qui præsumunt, non in se potestatem debent Ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis: ne præesse hominibus gaudeant, sed prodesse.* Inquit S. Prosper (b): *Hi sunt, qui non ambiendo, sed spiritualiter vivendo Sacerdotium meruerunt: quique non favoris humani suffragio, sed divino munere sublimati, nihil sibi de præstantia sui principatus, aut abundantia proventus applaudunt, quos non inflamat honor acceptus, sed exercet labor impositus. Qui non excellentiam suam cogitant proveci, sed sarcinam. Nec gloriantur de officii dignitate, sed sudant potius constituti sub onere.* Quid salubrius monito S. Bernardi (c)? *Vigilanter, inquit, discerne, qualis ex te, & qualis sis dono Dei, & non sit in spiritu tuo dolus. Erit autem, ubi fideliter partiens, tua tibi, & quæ sunt Dei, Deo sine fraude resignes. Ex te mala, bona à Domino.* En justæ humilitatis rationes.

T I T. II.

De ætate, & qualitate Beneficiandorum.

C A P. I.

De ætate Præscripta.

1. **I**n vigore, & flore cultioris veteris disciplinæ beneficia ipsi Ordini cohærebant, ut ipsa ordinatio instar collationis esset. Hac occasione agebat S. Leo: *Quid est cito manus imponere, nisi ante maturitatem ætatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* Refert. c. 5. §. 2. D. 61.

2. Quum labentibus sæculis invalisset, quod beneficiorum collationes ab ordinationum susceptione divellerentur, non raro frequens fuit, quod spretis Ordinibus pueri, & adolescentuli beneficiis, & dignitatibus inhiarent. Querebatur S. Bernardus (d): *Scholares pueri, & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris: lætiores interim, quod virgas evaserint quam quod meruerint principatum: nec tam illis blanditur adeptum, quam ademptum magistrum.*

3. Inde à sæculo X. instaurata est regula, ut nullus Epis-

(a) S. Greg. Past. P. 2. c. 6. (b) S. Prosp. vulg. de vit. contempl. lib. 2. c. 2. (c) S. Bern. de Consid. lib. 2. c. 11. (d) S. Bern. ep. 48.